

Status Ecclesiastici, suam conservabunt applicationem in favorem prædictarum. Hæc dispositio non respicit Beneficia, et Abbantias regii patronatus, et illa quorum bona alienata fuerunt.

ART. XX. Archiepiscopi et Episcopi in exercitio eorum Pastoralis Ministerii prorsus liberi erunt secundum Sacros Canones. Causas Ecclesiasticas, et in primis causas Matrimoniales in Foro Ecclesiastico cognoscent, ac de iis sententiam ferent. Hæc dispositio non respicit causas civiles Clericorum. Eorum potestas Clericos reprehensione dignos, et Fideles ecclesiasticarum legum transgressores puniendi. In sacris Visitationibus Diœcesum, et ad limina Apostolorum peragendis, et in Diœcesanis Synodis convocandis liberi erunt. In iis quæ ad pastoralis officii muneris executionem pertinent, liberi erunt. Causæ majores ad Summum Pontificem spectabunt.

ART. XXI. Archiepiscopi et Episcopi Clericos ad Sacros Ordines promovebunt, servatis cautelis et præscriptionibus contentis in Decreto Gregorii XV. anni 1623. necnon capite 4. Conventionis anni 1741. cui titulus *Requisiti de promovendis*. Taxa patrimonii. De exemptione fundi patrimonii ab omni hypothecæ vinculo legaliter constare debet. Si qui vero Clerici ad Sacros Ordines Beneficii ecclesiastici, aut Cappellanæ titulo promovebuntur, quoties talis Beneficii, aut Cappellanæ annuus redditus ad taxam Diœcesanam non pertingat, tantundem sibi ex aliis liberis fundis constituent, quantum supradictæ taxæ integritas postulaverit. Excipiuntur illæ Diœceses, in quibus ex Diœcesana lege taxa patrimonii in majori summa canonice constituta reperitur, respectu quarum nulla mutatio fiet.

ART. XXII. Liberum erit ad Sanctam Sedem appellare.

ART. XXIII. Episcoporum, Cleri et Populi communicatio cum Sancta Sede in rebus spiritualibus, et negotiis ecclesiasticis prorsus libera erit, ac consequenter Epistolæ, ut aiunt, Circulares, Leges, et Decreta circa *Liceat scribere* abrogantur.

ART. XXIV. Quoties Archiepiscopi, et Episcopi in libris introductis, vel qui introducuntur, impressis, vel qui imprimuntur in Regno, aliquid repererint Ecclesiæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium, Gubernium eorum librorum divulgationem non permittet.

ART. XXV. Regii Delegati jurisdictionis ecclesiasticæ munus a Majestate Sua supprimitur.

ART. XXVI. Curia Cappellani Majoris, ejusque jurisdictio, iis continebitur limitibus, qui in Constitutione Benedicti XIV. cujus initium *Convenit*, et sequenti ejusdem Pontificis *Motu proprio* super eadem re præscribuntur.

ART. XXVII. Ecclesiæ proprietas in suis possessionibus, et acquisitionibus sacra et inviolabilis erit.

ART. XXVIII. Sanctitas Sua concedit Regi ejusque catholicis Successoribus Indultum nominandi dignos et idoneos ecclesiasticos

viros ad omnes illas archiepiscopales et episcopales Ecclesias Regni, ad quas Majestas jure nominandi nondum gaudebat. Majestas Sua tempore debito Sanctitati Suae Nominatos manifestabit, ut Canonicam Institutionem modis et formis consuetis obtineant.

ART. XXIX. Archiepiscopi et Episcopi coram Majestate Regia juramentum fidelitatis emittent sequentibus verbis expressum: Ego juro et promitto ad Sancta Dei Evangelia obedientiam et fidelitatem Regiæ Majestati, item promitto me nullam communicationem habiturum, nullique consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra, neque extra conservaturum, quæ tranquillitati publicæ noceat, et si tam in diœcesi mea, quam alibi noverim aliquid in status damnum tractari, Majestati suæ manifestabo.

ART. XXX. Cætera vero res ecclesiasticas spectantia, quorum nulla mentio in his articulis facta est, dirigentur juxta vigentem Ecclesiæ disciplinam. Si qua vero supervenerit difficultas, Sanctitas Sua, et Majestas Sua secum conferre sibi reservant.

ART. XXXI. Præsens conventio substituitur omnibus Legibus, Ordinationibus, et Decretis in Regno utriusque Siciliæ circa res Religionis hucusque latis.

ART. XXXII. Præsens conventio præcedenti anni 1741. in ditionibus trans et citra Pharam substituitur.

ART. XXXIII. Utraque Contrahentium Pars spondet Se, successoresque suos omnia, de quibus in his articulis utrinque conventum est, sancte servaturos.

ART. XXXIV. Ratificationum hujus Conventionis traditio fiet Romæ non ultra quindecim dierum spatium a die his articulis appositâ.

ART. XXXV. Post hujus Conventionis ratificationem, ejusdem executio duobus selectissimis Viris, quorum alter a Sanctitate Sua, alter a Majestate Regia nominabitur, committetur, iique a respectivis Partibus Contrahentibus necessariis, et opportunis facultatibus munientur.

Concordatum Borussicum.

(8. Non solum Principes Catholici, sed etiam tales, qui Romanam Sedem non cognoscunt Matrem et Magistram omnium Ecclesiarum, obsecundaverunt vota Summorum Pontificum ad reordinandas res Catholicas in provinciis eorum temporali jurisdictioni subjectis; inter quos eminent Fridericus Guilielmus Borussorum Rex, quo regnante Pius VII. anno 1821. edidit literas Apostolicas incip. *De salute animarum*, quibus novam Diœcesum in illis provinciis circumscriptionem constituit.

ART. I. Unde invenimus constitutas duas Ecclesias Metropolitanas, Coloniensem, quæ pristinae dignitati restituitur, et Gnesnensem, cui æque principaliter perpetuo unitur nova Archiepiscopalis Ecclesia Posnaniensis; priori assignavit Suffraganeas Trevirenses, Monasteriensem, et Paderbornensem, alteri Ecclesiam Culmensis, decernens Ecclesias

Wratislaviensem ac Warmiensem Sancti Sedi perpetuo immediate subjectas.

ART. II. Constituitur numerus Dignitatum et Canonicorum in singulis Metropolitanis et Cathedralibus.

ART. III. Quilibet ad Dignitates et Canonicatus assequendas constitutus esse debet in majoribus Ordinibus, qui saltem per quinquennium utilem Ecclesiæ operamnaverit, vel in S. Theologia, aut in Jure Canonico Doctoratus lauream rite fuerit consequutus.

ART. IV. Collatio majoris post Pontificalem in dictis Ecclesiis Dignitatis, necnon in Ecclesia Aquisgranensi (vide infra Art. 8.), itemque Canonicatum in mensibus Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, ac Novembris vacantium Apostolicæ Sedi reservatur; Decanatus vero in dictis Ecclesiis, et Canonicatus in aliis sex mensibus vacantes ab Archiepiscopis et Episcopis respective conferantur; Vicariatus autem, seu Præbendatus, quocumque mense vacaverint, respectivorum Archiepiscoporum, et Episcoporum collationi relinquuntur.

ART. V. Capitulis facultas tribuitur, ut in singulis illarum Sedium vacationibus infra consueti trimestris spatium Dignitates et Canonicis capitulariter congregati novos Antistites ex ecclesiasticis quibuscumque viris Regni Borussici incolis ad formam Ss. Canonum eligere possint; ad quas electiones jus suffragii habebunt Canonici tam numerarii, quam honorarii; qui electi, si de eorum idoneitate constiterit, a Romano Pontifice per literas Apostolicas confirmabuntur.

ART. VI. In singulis Civitatibus tam Archiepiscopalibus quam Episcopalibus unum Clericorum Seminarium vel conservandum, vel de novo quamprimum erigendum est, in quo is Clericorum numerus ali, atque ad formam Decretorum S. Concilii Tridentini institui, ac educari debeat, qui respectivorum Diœcesum amplitudini, et necessitati respondeat.

ART. VII. Inspectis Diœcesum Borussici Regni amplitudine, ac magno Diœcesanorum numero confirmantur Suffraganeatus in Diœcesibus, in quibus constituti reperiuntur, et in Coloniensi et Trevirensi redintegrantur, et de novo constituuntur; ideoque quilibet Archiepiscopus et Episcopus Romanum Pontificem supplicabit, ut aliquis ecclesiasticus vir opportunis præditis requisitis ad Suffraganei munus designetur.

ART. VIII. Suppressa Episcopali Sede Aquisgranensi, Ecclesia antea Cathedralis immutatur in Collegiatam, cujus Capitulum constet ex unica Præpositi Dignitate, et sex Canonicatibus, quorum collatio quoad Præposituram apostolicæ Sedi, et quoad Canonicatus eidem Sedi Apostolicæ alternatim cum Coloniensi Archiepiscopo spectare debet. Quibus Capitularibus ex peculiari gratia conceditur licentia deferendi Cappam magnam sericam violacei coloris cordulis sericis sutam cum pellibus armellinis hyemali, æstivo autem tempore Mozzettam supra Rochettum.

ART. IX. Demum constituitur delatio Ec-

clesiarum Metropolitanarum et Cathedralium, necnon Capitulorum et Seminariorum earumdem.

Concordatum Belgicum.

Exemplum Borussici Regis secutus est Guilielmus I. Belgarum Rex, qui 18. Junii anni 1828. cum Pontifice Leone XII. ad componenda negotia Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ in Regno suo de sequentibus Articulis convenit.

ART. I. Applicabitur Conventio an 1801. ad septentrionales Provincias; qua conceditur libertas exercendi Religionem Catholicam Apostolicam et Romanam; Cultus publicus erit limitatus ordinationibus gubernii.

ART. II. Nova Diœcesum circumscriptio edatur; quarum numerum Sanctitas Sua in literis confirmatoriis constituit octo, inter quas Ecclesia Mechlinensis sit Metropolitana.

ART. III. Quælibet Diœcesis suum Capitulum et Seminarium habebit.

ART. IV. In vacationibus Sedis Archiepiscopalis vel Episcopalis, Capitula illarum Ecclesiarum ex Candidatis, de quorum nominibus prius Rex certior factus fuerit, et quos Regi gratos cognoverint, Archiepiscopum vel Episcopum eligant; Summus vero Pontifex, cui infra mensem documentum electionis deferendum est, postquam compererit Promovendum instructum iis dotibus, quæ a Ss. Canonibus in Episcopo requiruntur, eum quantocius confirmabit.

Si autem electio minime fuerit canonice peracta, aut promovendus prædictis dotibus instructus non reperitur, ex speciali gratia indulgetur, ut Capitulum ad novam electionem valeat procedere.

ART. V. Prima tamen vice Summus Pontifex sibi reservavit, Ecclesias Regni Belgici de Pastoribus providere; uti pari modo sibi et successoribus suis reservavit, Episcopis Diœcesanis, prout necessarium judicatum fuerit, auxiliares Episcopos concedere, qui iis, tamquam Suffraganei, adjumento sint in pontificalibus muniis explendis.

ART. VI. Archiepiscopus et Episcopus quisque postquam canonicam acceperit institutionem, coram Rege juramentum fidelitatis emittat.

ART. VII. Idem juramentum præsent ecclesiastici viri secundi ordinis coram auctoritatibus civilibus a Rege designatis.

ART. VIII. In omnibus Ecclesiis post divina Officia recitetur Oratio: *Domine, salvum fac Regem nostrum N.*

ART. IX. Episcopi liberam habebunt suorum Vicariorum in spiritualibus generalium nominationem et electionem.

ART. X. XI. Episcopi ad novam, ubi opus fuerit, Parœciarum circumscriptionem procedent. Rex autem juxta Art. XIV. Conventionis anni 1801. omnium Parœchorum, quos etiam ob novam Parœciarum, circumscriptionem creari, contigerit, sustentationi, quæ cujusque statum deceat, providebit.

Ultimo Summus Pontifex spem exprimit, fore ut inter istarum regionum Catholicos inveniantur, qui libertate Ecclesiis novis

fundationibus consulendi liberaliter uti velint; propensa vero Regis voluntas nos dubitare non sinit, quod protectionem funda-

CONCORDATUM GALLICUM.

ARTICULUS EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

SUMMARIUM.

1. Pragmaticæ Sanctionis Origo. — 2. Quibus articulis contineatur. — 3. Ejus vices. — 4. Tandem in Concilio Lateranensi V. abrogata, substitutis in illius locum Concordatis Bononiensibus. — 5. Horum

1. Quemadmodum Provisiones beneficiales in Anglia, Germania, aliisque provinciis magnas excitarunt controversias, ita etiam in Gallia, colliso non raro Regno cum Sacerdotio; jam anno videlicet 1267. tempore Clementis IV. deinde in Concilio Lugdunensi II. a. 1274. rursus in dissidiis Bonifacii VIII. et Philippi Pulchri circa ann. 1304. denique in Concilio Basileensi. Cum enim hoc varia contra Romanorum Pontificum potestatem decreta edidisset, XXXVIII. ejusdem Canonum in catalogum relati, Carolo VII. Francorum Regi fuerunt a Concilio missi. Porro Rex in Bituricensi conventu ann. 1438. eisdem Basileenses Canones recepit, ac famosa illa Gallorum *Pragmatica Sanctione* firmavit, deinde in Senatu Parisiensi promulgata. Juvat illius articulos summatim afferre.

(2. I. Papa singulis decenniis Concilium celebret. Si negligat, Patres suppleant.

II. Basileensis Concilii perpetua sit auctoritas.

III. Prælaturas electivas Papa non reserve, neque Canonicatus, nisi casibus in jure scripto expressis.

IV. Electiones sint omnino liberae.

V. Electionis forma servetur: electus vero a Prælatibus confirmetur.

VI. Papa huic Sanctioni non deroget. Si faciat, deferatur ad Generale Concilium.

VII. Si electio sit irrita, Electoribus altera relinquatur. Electus ab immediato superiore confirmetur.

VIII. Generali Concilio etiam Papa obediat, quatenus fides, et schismatum abolitio postulat.

IX. Concilii decreta a Christo auctoritate protinus obtinent.

X. Ecclesiis digni præficiantur.

XI. Expectativis gratis non sit locus.

XII. Beneficia, vivo rectore, nemini reserventur.

XIII. In qualibet Ecclesia Episcopali Theologus constituatur.

XIV. In conferendis Beneficiis Graduati præferantur.

XV. Hi nomina sua offerant.

XVI. Collatio prima aliis facta nulla esto.

XVII. Nemo quatuor dierum itinere Roma discessit, in Jus Romam vocetur, nisi in Causis majoribus.

XVIII. Appellatio fiat ad immediate superiorem. Exemptorum vero causam Papa Judici regionis committat.

XIX. Qui inaniter ante sententiam appellat, 25. florenos pendat, præter litis expensas.

tionum, vel elargitionum in favorem Ecclesiarum non sit suscepturus.

summa. — 6. Variæ in illa quærelæ, sed inutiles. — * 7. Hæc Concordata vigerunt usque ad annum 1789. — 8. Concordatum anni 1801. — 9. Conventio dicta Fontis bellaquei. — 10. Concordatum cum Ludovico XVIII.

XX. Triennalis possessio quieta non amplius turbetur, nisi impedimentum justum obstiterit, quominus potuerit possessor impeti.

XXI. Cardinales sint tantum XXIV. docti, XXX. annorum, legitimis natalibus.

XXII. De dignitatibus ac Beneficiis Ecclesiasticis nihil prorsus, neque annatam, neque primitias Pontifex exigat: secus irrita est provisio, et pœna Simoniacis debita infligatur. Scribis tantum, et notariis merces solvatur.

XXIII. Res divina sancte, ac devote peragatur.

XXIV. Qui tantum in aliqua horarum est præsens, non fruatur distributione quotidiana.

XXV. Hoc etiam ad Decanum et Præpositum extendendum.

XXVI. Idem de garrientibus, aut deambulantibus in Ecclesia.

XXVII. Insuper unius mensis stipendiiis priventur.

XXVIII. Tabula officiorum hebdomadali in Choro sit appensa.

XXIX. Symbolum integrum canatur.

XXX. Camœnæ vulgi in Ecclesia ne canantur.

XXXI. Missa non celebretur sine Ministro, illaque alta voce legatur.

XXXII. Canonici debita non solventes statuto tempore, interdiantur Divinis, et trimestri Ecclesiæ stipendio.

XXXIII. Solemnibus diebus nullum celebretur Capitulum.

XXXIV. Profana facessant ab Ecclesia.

XXXV. Clericus, concubiniarius post secundam sanctionis istius promulgationem non respiciens, tribus mensibus beneficii fructibus careat.

XXXVI. Hæretici non denunciati non sunt vitandi.

XXXVII. Nulli communitati sacris interdicitur, nisi per se ipsam, aut per magistratus suos deliquerit.

XXXVIII. Non credendum literis, quibus scribitur, quempiam beneficio suo se abdicasse, nisi testibus id, aut documentis idoneis, comprobetur.

(3. Hæc sunt Pragmaticæ Sanctionis Gallicanæ capitula, ex Concilio Basileensi prognata. Quamvis autem Rex Carolus ista receperit, ac promulgavit, quoad ea tamen, quæ Conciliabulum egit in deponendo Eugenio IV. Pontifice, noluit consentire, quinimo ad exturbandum illud conventiculum Ludovicus filium ad fines Basileensium misit, qui

eruento prælio Helvetiorum copias fudit. Neque tamen his flexi sunt Romani Pontifices, quin Pragmaticæ Sanctioni omni conatu obsisterent. Ac Ludovicus quidem XI. an. 1462. Sanctionem illam rescidit, veluti seditionis, et schismatis tempore cusam ad Sedem Apostolicam infringendam auctoritatem, urgente Pio II. cui illam abrogationem Ludovicus promiserat, si quiete ad Regnum perveniret. Verum cum Galli Sanctionem Regno admodum utilem dicerent propter abolitionem appellationum, reservationum beneficiarum, gratiarum expectatarum, ac præsertim Annatarum, per quas multum pecuniæ e Regno exportari querebantur, eandem Ludovicus ipse permittere debuit, Carolus autem VIII. prorsus instauravit.

(4. Sed tandem a Francisco I. qui cum Leone X. hac de re pactionem Bononiæ inerat, abrogata omnino fuit, illique suffecta Concordata, quæ Bulla Leonis X. *Pastor æternus* in Concilio Lateranensi V. sess. XI. a. 1516. promulgata exhibet.

(5. Novemdecim ea Concordata articulis constant, quorum summa hæc est:

I. Conceditur Regi jus nominandi, seu præsentandi ad Ecclesias Cathedrales, et Abbatiales intra sex menses idoneum, qui gradu Theologiæ, vel Juris Canonici in celebri aliqua Academia sit insignitus, prævio riguroso examine, et saltem 27. ætatis annos habentem. Quod si Rex idoneum Pontifici nominaret, aut præsentaret instituendum, poterit Rex intra tres menses a die Pontificiæ recusationis numerandos, alium Pontifici nominare. Quo finito tempore pertinet ad Sedem Apostolicam Ecclesiæ providere. Reservantur etiam Pontifici vacantia apud S. Sedem. Aliter factæ provisiones sunt irritæ: exceptis tamen personis Regii Sanguinis, et Religiosis mendicantibus, in quibus nominandis non omnia prædicta requiruntur.

II. Pariter in Monasteriis, et Prioratibus Conventualibus, et vere electivis, secundum formam Capituli *Quia propter*, deinceps nominatio Abbatis, Prioris, aut Prælati ad Regem pertineat. Qui intra sex menses Pontifici præsentabit idoneum ejusdem Ordinis, ad minimum 23. annorum. Alias recusari poterit.

III. Salvis tamen Privilegiis a S. Sede specialiter concessis alicui Ecclesiæ eligendi proprium Prælatum.

IV. Tolluntur gratiæ expectativæ, et speciales, vel generales reservationes ad vacatura beneficia.

V. Si statuta requirant ut obtenturus dignitatem sit Canonicus, observabitur.

VI. Unus Canonicatus detur Theologo docti.

VII. Tertia pars Beneficiorum detur graduatis ab ordinariis Collatoribus, et Patronis Ecclesiasticis. Unde statuuntur menses pro graduatis præsentandis, et alii menses pro aliis.

VIII. Decernuntur multa circa personas graduatas, tempus studii, Testimonia Academica, ordinem dignitatis, etc.

IX. Parochiæ Urbicæ solis conferantur graduatis ex Theologia, vel Jure Canonico.

X. Quilibet Pontifex semel in vita sua possit literas dare in forma mandati; ita ut collatorem X. beneficiorum in uno tantum beneficio, collatorem vero L. beneficiorum in duobus tantum beneficiis gravare possit.

XI. Causæ omnes (exceptis majoribus, in Jure expresse Pontifici reservatis) a Judicibus, qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio, aut præscriptione cognitionem habent, terminari debent.

XII. Appellationes justæ fiant ad immediate superiorem, ita ut ne ad ipsam quidem S. Sedem fieri possint, præteritis Judicibus mediis. Ante sententiam vero definitivam absolute non potest appellari; nisi gravamen tale esset illatum, quod in definitivo sanari non posset: et tali etiam casu non nisi ad immediate Superiorem potest appellari.

XIII. Si exempti a Jurisdictione Judicum Ordinariorum, seu immediate subjecti Sedi Apostolicæ ad eandem duxerint appellandum, per rescriptum Papa committat causam Judicibus delegatis in Gallia: a quibus appellari non possit, nisi in casu denegatæ justitiæ, aut metus injuste incussi. Cardinales tamen, et officiales Pontificis in hoc non comprehenduntur.

XIV. Lites Beneficiales intra biennium terminentur.

XV. A duabus Sententiis interlocutoriis, et tribus definitivis conformibus ulterius non appellatur: sed mox ad executionem procedatur.

XVI. Qui per triennium possedit Beneficium pacifice, et cum titulo colorato, neque in petitorio, neque in possessorio amplius molestetur, ne ratione quidem instrumenti noviter reperti, nisi violentus fuerit ingressus, aut pars altera justum impedimentum reclamandi doceat. Nullum tamen tempus illum juvat, qui sine titulo Beneficium possidet.

XVII. Concubinatus tamquam Divino præcepto omnibus vetitus, ac præsertim Clericis, severe prohibetur.

XVIII. Interdicta localia non ferantur propter culpam privatæ personæ.

XIX. Hæc Concordata vim habeant veri contractus, utrimque obligantis.

(6. Fuerunt hæc Concordata in Senatu Parisiensi promulgata anno 1517. rem urgente Rege, etsi ad hoc invitatus Senatus devenit, Academia quoque Parisiensis ab hisce Concordatis ausa est futurum generale Concilium appellare; quin etiam non semel Clerus Reges exstimulavit, ut rescissis Concordatis Pragmaticam Sanctionem restituerent. Quieverunt tandem turbæ, atque experimento compertum est, non pauca ex Concordatis commoda in Gallicanam Ecclesiam redundare. Vide Thomassinum *par. 11. lib. 1. cap. 45. num. 9. seqq.* et Natalem Alexandrum *in hist. Eccles. Sæc. XV. et XVI. diss. XI. artic. 6.*